

ADDITIONVM

CANE ARISTOTELIS.

Nieremb. H.
I. II. c. 20. **P**iscis, qui hodie Tubero dicitur, Canis Carcharias esse vulgo creditur. At quia ille, quem Franciscus Hernandus describit, exacte descriptioni, quam attulimus, non respondet; ideo placet et hanc apponere. Cetaceus inquit pisces est, ex genere oblongorum, Oceani incola, quindecim interdum dodrantes longus, voracissimus, cursu velox, nec omnino stupidus, et bina humana corpora saepenumero eraffus; ore quod rostro unciarum decem intervallo subjacet, lunato, vallatoque superne trino dentium praecutorum, ac sese mutuo ferrae modo subintrantium, ac quaterno inferne binum dodrantum ritu, et branchiis utrimque quinis: rostro ranae obrotundo, pinnis singulis utrimque juxta branchias, totidem juxta pudenda, juxta caudam unica altera omnium maxima imminentे dorso statim a branchiis, alteraque juxta caudam modica, a contrario alterius parvae; sed in oppositam partem vergente cauda magna, crassa, falcataque, et superna parte triplo aut quadruplo longiore atque latiore, et juxta exortum quibusdam parvis cavitatibus insigni: oculis modicis longo intersese distantibus intervallo: pupilla magna, et sub lutea iride, corio vero ceterorum cartilagineorum, cum sese tendit, nullis ictibus penetrabili: dorso ac lateribus caeruleis exsaturatis, ac ventre carenti. Mirem est, bina pendere mari, ossea pudenda, cava, alba, dodrantem longa, et ternis singula, glandis loco, longiusculis noxia acuminibus, quibus novaculae modo facile quid-

vis obvium abscondit. Maleficum animal est, atrox, ac hominum devorator: adeo vivax, ut in per quam tenues etiam divisum apaleatos, affixumque veru, ac vitam adhuc videatur mordicus retinere. Mediocre praestat, et quale alii congeneres pisces, dum parvum est alimento; sed proiectus, durum, ingratum, insalubre, et fluxum alieniens. Unicum est illi intestinum, satis amplum; unde tam improba contigit voracitas. Cor parvum subalbidum, laxum, et usque adeo vivax, ut eductum, et in varias partes secum, diutius conspiciatur moveri, ventriculisque distinctum. Stomachus vastus est, hepar candens, in duas partium taenias, quatuor dodrantes longas, ac deceim uncias latas divisum. Splen vero jecinoris longitudine, sed duas tantum uncias longus.

Nieremb. H.
N. I. II. c. 19. Caeterum solent circa tuberones pisciculi quidam natare Romeri dicti, de quibus ita Hernandus. Pisces est spinosus, Oceani Septemtrionalis alumnus, dodrantem plus minus longus, tres uncias crassus, corio tectus molli et paene teres. Lunata constat cauda, et rostro resimo atque compresso, oculis magnis, si magnitudini corporis comparentur, pupilla nigra ac lutea iride. Senis natat pinnis, quarum altera medio paene dorso in caudam usque procedit, sensim sese attenuans, et a quibusdam praecutis spinulis sumens exordium: altera a pudendo paene ipso in caudam fere descendit, utrumque a branchiis singulæ, binaeque paulo ante initium ventris.